D E

HAEROICITATE VIRTVTVM In Beatificandis, & Canonizandis requisita.

MICHAELE ANGELO

L A P I O

A V C T O R E.



R O M AE

Typis Nicolai Angeli Tinassi 1671.

Superiorum Permissu.

AD LECTOREM.




ONNVLLAS lucubratiunculas meas ſuperioribus annis prælo tradidi, non vt illas in publicum darem, cum virorum auribus doctrina, & ſcientia præditorum diguas non exiſtimauerim, ſed vt diſpendio amanuenſium parcerem, minorique ſumptu flagitantibus amicis facerem ſatis. Has non improbatas audiui ex eo præſertim, quod eruditus vir Valentinus Steber Eichsfeldiacus Heiligenſtadianus epiſtolam, quam Italico idiomate ſcripſi ſuper inedia Beati Nicolai de Flue in latinum vertit, ac vitæ eiuſdem

Beati à Petro Hugone Societatis Iesu olim exaratæ, ac denuo impressæ adiunxit. Id animũ adiecit typis mandare, quæ de hæroicitate virtutum requisita in Canonizandis breuiter in vnum congessi. Ea igitur, benigne lector, perlegere ne graueris, cum multa non sint, nam si tibi non iniucunda fuisse cognouero, alia opuscula forsan non vulgaria, vt ocij tempus aliquo leuamine temperes, propediem expecta. Vale.

DE HAEROICITATE

Virtutum requiſita in Beatificandis, & Canonizandis.



Aeroicitas in virtutibus non vniformiter, ſed multifariam a diuerſarum ſcientiarum profeſſoribus conſideratur. Aliter enim illam Philoſophi, aliter Canoniſtæ, aliter Theologi contemplantur. In hoc tamen conueniunt, quod conſiſtat in quodam eminenti modo operandi, qui communem vſum ſuperet, & quaſi diuinam attingat conditionem. Nec vt virtus ab alijs ſpecie diſtincta debet haberi, ſed vt gradus ſupremus, qui in qualibet poteſt reperiri. Vtque virtutes omnes vel in ordinem, & ad finem ciuilem, vel in ordinem, & ad finem ſupernaturalem diriguntur, ſic hæroicitas ad vtrumque finem perpendi valet. Ad finem ciuilem, quando homines illis vtuntur ad priuatum, proprium, ſeu reipu-

blicæ commodum; ad finem vero supernaturalem, quando easdem ad Deum, illinsque legis perfectam, exactissimamque dirigunt obseruantiã.

Philosophi, qui hæroicitatem tantummodo meditantur secundum causas naturales, docent, eamdem nõ excedere vires naturæ, sed solũ superare communem vsum operandi, & recensendo illius causas asserunt, quod prima, & potissima causa est temperamentum, quod si natus optimum ab astris in natiuitate sortitus fuit, procul dubio faciliùs operabitur secundum virtutem, & maiora, quam qui malum fuit assecutus. Nec immerito, nam anima rationalis, vt immortalis, & ad æternam beatitudinem creata naturaliter summum appetit bonum, corpus verò, seu pars animæ sensitiua, vt mortale, & caducum propria, & naturalia delectamenta, quæ vt plurimum tendunt ad vitia. Cumque anima rationalis nil fere valeat agere, nisi mediantibus sensibus, illos ad operandum ea, quæ virtuti sunt cõsona semper conatur inducere. Corpus vero e cõtra voluptates, aliasque illecebras

cebras ſpreto rationalis imperio nititur operari. Vndè inter vtrumque continuum euenit prælium,licet non ſingulis hominibus idem . Picolom. *de mor. grad. 3. capit. 8. in med. verſ. his 4. B. Laurent. Iuſtin. de vit. ſol. cap. 5.* Quamuis enim vnicuique animæ rationali ad ſequendam virtutem, ſuperandaſque malas , quibus præmitur , paſſiones dederit Deus æquale robur;corporibus tamen, ſeu parti animæ ſenſitiuæ non æqualis tributa fuit mala inclinatio ad delectamenta , & voluptates. Nam cum præcipua cauſa inclinationum ſit temperamentum , idque oriatur , & regatur ab aſtris,vt illa diuerſimode temperamento dominantur , ſic inclinatio prona eſt magis vel minus ad hæc,vel illa delectamēta. Nō enim pariformiter flagrabit cupiditate diuitiarum,qui in geneſi Saturnum habet fortem , in angulis, & dominum genituræ, ac ille, cui eſt dominus Iupiter,Saturnus verò debilis,in cadentibus, & peregrinus. Nam hic cum Iupiter ſit natura temperatus , proindeque paſſiones nō habeat alteratas ad diuitias , vel parum illas

curabit, vel nihil faciet. Ille verò cum Saturnus sit valdè frigidus, & siccus, ac influat suo valido aspectu in nati temperamentum huiusmodi qualitates, ex quibus oritur pusillanimitas, & ex pusillanimitate auri desiderium,& habendi immoderata cupiditas, adeò vehementer eas appetet, & sataget adaugere, vt proprijs, & necessarijs parcat sumptibus, idque quia terra,ex qua aurum cæteræque diuitiæ comparantur,est sicca, Saturnus pariter,sub quo præfati nascuntur siccus,vndè facilis inter eos amicitia, & amor. Hinc D. Thom. 3. *con.gent.lib.2.cap.7.*recensendo sententiam Damasceni asserentis alios, aliosque planetas diuersas complexiones, nec non habitus, & dispositiones in nobis constituere.
„ Verùm est, inquit, quod proposi-
„ tione centiloquij affert Ptholo-
„ meus; quod si Mercurius fortis
„ fuerit in alicuius natiuitate in do-
„ mo Saturni,nato bonitatem intel-
„ ligentiæ in rebus meditullius si-
„ gnificabit. Astra namque possunt
„ esse causa bonorum non solum,vel
„ malorum, & origines, sed nostræ

prauæ

,, prauæ, & bonæ voluntatis. Cum
,, enim sensus fuerit benè ordinatus,
,, voluntas flectitur ad benè eligen-
,, dum, si male ordinatus ad male
,, eligendum propter malam incli-
,, nationem.

Nec me latet, quam plurimos non assentiri, quod astra sint causa perturbationum, asserendo illa vniuersaliter in elementa influere, non autem particulariter in indiuiduis, quia cum temperamentum constituatur elementis, seu eorum qualitatibus, vt astra dominãtur in aquã, & aerem, cæteraque elementa, ita in humores, & spiritus animales, cui vnita est mens *Campanell. astron. in profat. par. 6. vers. ficut enim.* Et tamen verum est, quod licet vtcumque prædictæ inclinationes præmãt animam rationalem, nihilominus non potest inde inferri necessitas ex eis operandi, quia nunquam adeo vehementes existunt, vt eamdem inuite cogant secundum temperamentum agere, tum quia anima rationalis, cum sit immortalis, & æterna, & in hoc beatis mentibus assimiletur, vt illæ, ita nec ipsa

aſtris ſubeſt, tum quia cum voluerit Deus inclinationibus prauis, quæ ex temperamento naſcuntur, hominem ſtimulari, vt contra eas pugnādo, & de eis victoriā reportando pręmium mererentur ſempiternum *D. Anton. in ſum. cap. 6. de vnion. anim. ad corp. col. 1. verſ. 3. ratio. Beluac. in ſpec. natur. lib. 23. cap. 6. Duran. in concert. tit. 1. fol 19. verſ. concupiſcentia vero. Rainaud. de ſobr. alter. ſex. freq. cap. 5. §. illatum fol. 98.* non valeret finem conſequi, & fruſtra laboraret, ſi illis neceſſario obtemperandum, & ſecundum eas eſſet operandum. Ad cuius corroborationem ſatis ſit adducere, quod ſicuti alicuius flagitij reus, quamuis exquiſitiſſimis efficiatur tormentis à Iudice non poteſt cogi inuito fateri delictum. Sic anima rationalis compelli nequit ab aſtris, quæ ſuauiter agunt, ſequi inclinationes temperamenti, ſi ipſa nolit, cum violentius trahatur quis ſequi voluntatem alterius vi tormentorum, quam attracto blanditiarum. *Campanel. aſtron. in præf. pag. 2. verſ. hominem autem. Cabeus ſup. meteor. Ariſt. lib. 1. text.*

5. qu.

5. *quæst.* 2. §. *dicendum* .

At non inficior, vehementiſſimas animi paſſiones non niſi cum maxima difficultate poſſe ſuperari, nec ſatis eſſe quamlibet virtutem, ſed neceſſariam ſapientiam iuxta vulgatum adagium . Sapiens dominabitur aſtris . In quo notandum, quod non fuit dictum, ſciens dominabitur, quia cum ſcientia verſetur circa humana, & inferiora non videtur ſufficiens ad comprimendas huiuſmodi vehementiſſimas perturbationes, quę quodammodo humanas facultates excedere videntur, ſed neceſſaria eſt ſapientia, quæ vt circa diuina verſatur, ſic animam, dum in humanis exiſtit, ſuper aſtra attollit, & efficit, vt illis dominetur, & clauſa in corpore mortali vitam peragat cæleſtem. Vnde non immerito Picolom. *de mo rib. grad.* 6. *cap.* 8. *verſ. cum præterea.* exiſtimat, homines, qui præmuntur adeò malis inclinationibus hæroice agere, ſi illas ſuperant, & ſecundum virtutem contrariam operantur. At quia per quam arduum, & difficile eſt huiuſmodi temperamenti vehementiſſimas qualitates per ſenſus ex-

teriores alijs innotefcere,idcircò ferè nullus hac folum de caufa inter hæroas adfcriptus reperitur.

Secunda caufa hæroicarum virtutum non minus antecedente proficua educatio natorum eft,quia cum intellectus in ætate tenella non fatis fit propria virtute, & doctrina fenfui refiftere, opus habet inftrui, vt poffit voluntatem fibi obfequentem reddere, & in cæteris fuæ vitæ ætatibus vehementiffimis fenfus incitamentis obfiftere,& aduerfari. Nam cum inter preftantiores animæ potentias intellectus, fenfus, & voluntas primas partes obtineant, & intellectus, ac fenfus ducis munere fungantur, voluntas vero fectarij locum teneat,nil ägit volūtas fuapte natura, fed quicquid illi fuadet, ac oftendit intellectus, aut fenfus. Hic, vt fupra dictum eft, oblectamenta, intellectus vero, quæ iufta, & fecundum virtutem, funt,indicat,ac præfcribit. Voluntas vero illi præftat affenfum,qui validiori, & potentiori fuadet incitamento. Hinc à natiuitate ad virilitatem vfque fenfui magis adhęret, cum in illa

ætate

ætate vegetior ſenſus in dies efficiatur, & naturaliter maioribus voluntatem agat ſtimulis abſque intellectus præſertim in infantia, & pueritia contradictione, qui natura neſcius, & non niſi aliorum doctrina, vel longa rerum experientia edoctus voluntati imperare, ſenſuique refragari non ſatis eſt. Quod ſecus accidit in reliquo vitæ curſu, nam tunc intellectus, ſi prauis habitibus ad malum non ſit procliuis, ſi non educatione, ſaltem proprijs eruditus periculis, voluntatem ad bonum cõpellit parum, & quandoque nihili repugnante ſenſu, cum illo tempore vires illi decreſcant, & minori in dies moleſtia afficiat voluntatem.
„ Quapropter Plato *lib. 6 de leg.*
„ Homo, inquit, ſi cum natura feli-
„ ci rectam quoq; diſciplinam ſue-
„ rit aſſecutus in diuiniſſimum,
„ manſuetiſſimumque animal ſolet
„ euadere; ſi verò non ſatis, aut bene
„ fuerit educatus in ferociſſimum
„ omnium, quæ in terris naſcuntur
„ animal redditur, & Plutarc. *in*
„ *opuſc. de lib. educ. circa princ.* ait,
„ Quod fons, & radix virtutis, & hone-
neſta-

neſtatis vitæ eſt inſtitutio proba, & paulo ante volens exprimere quanti ſit facienda educatio, pro valido argumento vſus eſt exemplo tradito Lacedemonijs à Licurgo duorum venaticorum catellorum ex vna matre natorum, quorum alter delicijs, & ventri, alter indagini, & venationi fuerat educatus, ante quos poſita patina, & lepore, qui venationi incubuit leporem inſequutus eſt, qui ventri vacauit patinæ adhæſit, vt eſcam deglutiret.

Tertia cauſa, quæ temperamento, & intellectui maxime opitulatur alimentum eſt. Et primo quamplurimum prodeſt temperamento, quia licet cibus digeſtus primo in chylum, deinde in ſanguinem, & demum in vnumquodque corporis membrum immutetur, propria tamen ſua elementaris qualitas non adeo tollitur, vt aliquo modo non communicetur membris, in quibus conuertitur, & temperamenti qualitas contraria, quam quis in natiuitate ſortitus eſt, ſaltem in parte non temperetur, ita vt facilius actiones temperamento adſcititio conuenientes

ope-

operetur. Esto enim, quod quis sit temperamento siccus, & calidus, ideoque facilis ad iram, si vescatur cibis humidis, qui ad frigiditatem, potius, quam ad caliditatem tendant, vt calorem, sic iram temperabit. Hinc quia in senectute humidum plerumque decrescit, & siccitas augetur, senes magis ad iram proni, & fastidiosi, licet in iuuentute fuerint benignitate præditi. Secundo opitulatur etiam intellectui, quia licet intellectus saltem vniuersalia per se cognoscat, nihilo minus cum principalem sedem in cerebro habeat, non valet perfecte etiam vniuersalia, nedum particularia, & indiuidua, quæ absque organis sensus non cognoscit, contemplari, si cerebrum infirma conflictetur valetudine, aut noxijs vaporibus, qui a stomaco praua cibi qualitate, aut indigestione ascendunt, afficiatur. Quo circa Fernelius *de funct. & hum. lib. 6. cap. 15. post med* „ Neque, ait, insita solum, & congenita nobis, sed & adscititia constitutio animi facultates, moresque „ mutat, & corpore puro, omnique

sor-

„ ſorde vacuo candidi ſunt mores,&
„ hebetes vires animi. Quod tam
„ multa, tanque varia ſint homi-
„ num ingenia, tanque diſpares
„ eorum mores, alij ſobrii, alij vi-
„ noſi non aliunde petendum, quam
„ ex corporis naturali, aut adſcititia
„ conſtitutione. Iam vero ſi corpus
„ grauius morbo afflictabitur, quis
„ dubitat occupata, impeditaue ani-
„ mi ſede illius vires impediri, aut
„ perturbari? Si corpus, ſpirituſque
„ vehemẽter concutitur, aut in febriũ
„ ardoribus mens conſtare non po-
„ teſt, ſed cuncta turbido motu com-
„ mouentur. Sin vero corpus mor-
„ bo proſternitur, animæ vires pari-
„ ter elangueſcunt, neque laboranti
„ poſſunt ſubſiſtere. Quod etiam
confirmat D. Gregorius Niſſenus.
lib. 4. Philoſ. de vir. ani. cap. 9. his
verbis. Cæterum malæ paſſiones
„ per hæc tria in ſunt animæ; Per
„ malam conuerſationem, inſcitiam,
„ & in ſalubrem corporis habitudi-
„ nem. Non bene enim a pueritia
„ educati, vt paſſionibus domine-
„ mur, in enormitatem harum inci-
„ dimus. Ex iuſtitia vero male di-
iudi-

„ iudicantes in excogitatiua vi animæ conascuntur, vt existimet tum „ mala bona esse, tum bona mala. „ Accidunt insuper quædam passiones, seu affectiones ex mala habitudine corporis. Iracundi enim „ sunt collerici, tristes verò calidi, „ & humidi secundum complexionem. Porro mali mores bona consuetudine curandi sunt, inscitia „ autem per disciplinam, & doctrinam. Insalubris item corporis habitudo sananda est corporaliter „ etiam transmutando, vt posibile „ fuerit, in mediam crasim conuenienti dieta, & exercitijs, & pharmacis, si his indiguerimus.

Verum quam efficax, & validum sit alimentum,& præsertim lactis ad progignendas,compescendasue animi inclinationes egregie expressi Macrobius Saturnal. *dicr. lib.* 5. *cap.* 11. *explicans* Virg. *vers.* 365. *lib.* 4. Ænead.

Nec tibi Diua Parens generis, nec Dardanus auctor.
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens.
Caucasus, hyrcanæq; admorunt vbera (tigres

Sic inquiens. Quoniam videli-

„ licet in moribus inoleſcendis magnam ferè partem nutricis ingenium, & natura lactis tenet, quæ „ infuſa tenero, & mixta parentum „ ſemini adhuc recenti, ex hac gemina concretione vnam indolem „ configurat. Hinc eſt, quod prudentia naturæ ſimilitudinem natorum, atque gignientium ex ipſo „ quoque nutricatu præparãs fecit „ cum ipſo partu alimoniæ copiam „ naſci. Nam poſtquam ſanguinis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus effinxit, atque aluit, adueniente iam partus tempore idẽ „ ad corporis materni ſuperna coſcẽdẽs in naturã lactis albeſcit, vt recẽs „ natis idem ſit altor, qui fuerat fabricator, quamobrem non fruſtra „ creditum eſt, ſicut valeat ad fingendas corporis, atque animi ſimilitudines vis, & natura ſeminis, „ non ſecus ad eamdem rem lactis „ quoque ingenia, & proprietates „ valere. Neque in hominibus id „ ſolum, ſed in pecudibus quoque „ animaduerſum, nam ſi ouium lacte hædi, aut caprarum agni forſitan alantur, conſtat fermè in his

lanam

„ lanam duriorem in illis capillum
„ gigni teneriorem. In arboribus
„ etiam, & frugibus ad earum indo-
„ lem vel detrectandam, vel augen-
„ dam maior plerumque vis, & po-
„ testas est aquarum, & terrarum,
„ quæ alunt, quam ipsius quod iaci-
„ tur seminis, ac sæpè videas lætam,
„ nitemtemque arborem, si in lo-
„ cum alterum transferatur, succo
„ terræ deterioris elanguisse. Idem-
que confirmat Licetus *de mostr. lib.* 2. *cap.* 64. asserens,' quod patet experientia, puerum nutritum lacte bubillo, aut canino, mores, & propensiones animi consimiles induere affectionibus animalis nutrientis. Et exempla quamplurima eorum qui lacte alicuius animalis nutriti eorumdem propensionibus se extimulari senserunt recenset Gaspar à Reies in campo Elisio *quæst.* 47. *nu.* 23. *& seqq.* inter quæ illud præcipuum, & admirandum est, quod refert his verbis. Ioannes Guttierez
„ de Godoi *tract. de educat. pueror.*
„ *discurs.* 3. prope finem à nobili fæ-
„ mina Hispali audiuisse narrat de
„ quadam muliere sibi nota, & ami-
citiæ

„ citiæ familiaris, quæ pæſtis tem-
„ pore pæpererat, & à mammis
„ ægrotauerat, vt infantem ſuum
„ alere minimè poſſet. Cumque ob
„ temporis anguſtiam nutrix alia
„ non inueniretur, famulus quidam
„ ne puer fame periret, ad porcæ
„ vbera illum admouit, cuius tandem
„ lacte, cum aliud non daretur, nū
„ tritus eſt. Verum adoleſcens iam
„ factus edendo, & bibendo ſpu-
„ rcus, atq; intemperatus adeo eua-
„ ſit, vt nullus ſui cultus curam ha-
„ beret. Quin ex materna inclina-
„ tione lutoſa loca, & cænoſa adeo
„ optabat, & amabat, vt in eis per-
„ petuò volutari appeteret, quod
„ de facto exequebatur ſæpiùs in
„ cænoſo riuulo Tagerete ſe ſe ſui
„ more profluens. Huicque ſimilem
hiſtoriam de altero lacte ſuillo nutri-
to affert *Sanert.lib.2.in vit.par.3.ſect.
2.c.4.* & innumeras compilauit idem
Godoe ex Homero Virgilio, & Oui-
dio, vt in ijſdem videre licet.

Quarta cauſa intellectui tantum-
modo proficua conuerſatio cum bo-
nis eſt, & bonorum lectio librorum.
Nam intellectus, vt ſupra dictum eſt

à na-

à natiuitate non valet ex se voluntati, quod decet, & iustum est præscribere, & in ætate puerili alienis instrui præceptis non ægre patitur. At in iuuenta pedagogis subdi dedignatur, & prudentiæ suæ innixus alterius documenta sequi detrectat, libentiusque aliorum exemplis edoctus amplecti virtutem suadet voluntati. Quo circa si natus cum probis viris conuersatur, si bonorum gaudet lectione librorū, facilius inflammari se sentiet ad virtutem,& secundum eam in gradu hæroico ad imitationem eorum, quorum gesta legit, concurrentibus alijs causis operabitur. Quare Seneca *epist.95. lib. 3.* sic inquit. Nulla res magis animus
„ honesta induit, dubiosque & in
„ prauum inclinantes reuocat ad re-
„ ctum, quam bonorum virorum
„ conuersatio. Paulatim enim de-
„ scendit in pectus, & vim præce-
„ ptorum obtinet frequenter audiri,
„ aspici frequenter. Occursus me
„ hercle, ipse sapientum iuuat, &
„ est aliquid, quod ex magno viro
„ vel tacente proficies. Nec tibi faci-
„ le dixerim, quemadmodum prosit,

sicut

„ ſicut illud intelligam profuiſſe.
„ Minuta quædam, vt ait Phedon,
„ animalia cum mordent, non ſen-
„ tiuntur, adeo tenuis illis, & fal-
„ lens in periculum vis eſt. Tumor
„ indicat morſum, & in ipſo tumo-
„ re nullum vulnus apparet. Idem
„ tibi in conuerſatione ſapientum
„ eueniet. Non deprehendes que-
„ madmodum, aut quandò tibi pro-
„ ſit, profuiſſe deprehendes.

Recenſent etiam nonnulli relati à Franciſco Picolomineo. *de morib. grad.* 1. *cap.* 28. & à Conibricenſib. *de gener. & corrup. capit.* 11. *qu.* 4. inter cauſas operationum regionem, in qua quis naſcitur, ideoque diuerſis nationibus, quarum meminerunt Cęli Rodiginus *lect. antiq. lib.* 16. *cap.* 3. & *lib.* 18. *cap.* 18. & Alexander ab Alexandris *Genial. dir. lib.* 4. *cap.* 13. aſſerunt mores tam bonos, quam malos ita eſſe innatos, ac ſi eſſent proprii, & perpetui. Verum ipſam regionem inter cauſas virtutum, vel vitiorum adſcribendam non cenſeo, cum nihil influat in natos, niſi quatenus eſt poſita ſub hoc, vel illo aſtro, vt ex do-

ctri-

ctrina D. Thomæ docet Campanella *aſtron. lib.* 2. *cap.* 2. Et propterea prædictæ incolarum inclinationes referendæ potius ſunt vel ad temperamentum ortum ab aſtris, quæ regioni dominantur, vel ad diſciplinam, qua pueri iuxta conſuetudinem loci educantur.

Et demum ne longior ſim in recenſendo ſingillatim vnamquamque cauſam, ſi vltra prædictas concurcurrant locus, tempus, occaſio, & cætera inſtrumenta ad operandum ſecundum virtutẽ neceſſaria, is certe facilius in gradu eminenti operabitur, qui hæroicus dicitur, quam alius, cui multæ, vel etiam altera ex his deficiant. Et quia omnes ſupradictæ cauſæ vix inter centena hominum millia in vnum concurrunt, ideo illum admiramur, vt pote inſigni fauore a ſecũdis cauſis,& à natura decoratum, & ſuper humanam quaſi elatum conditionem.

Cumque ſupradicta omnia perbelle, & eleganter confirmet Franciſcus Piccolomineus *de morib. grad.* 1. *cap.* 3. idcirco pro coronide illius verba ſubijciam. Colligimus ita-

„ que pro formandis hominum mo-
„ ribus conducere cœlos, & aſtra,
„ & communes cauſas. Conducere
„ fatum, vt eſt idem cum natura, &
„ ab ea ſola ratione diſtinctum qua-
„ tenus per naturam hoc noſtrum
„ organicum corpus vario modo
„ conſtruitur. Conducere tempera-
„ mentum, vt materiam, ſtimulum,
„ & inſtrumentum. Præſertim ta-
„ men tanquam à cauſa nedum pro-
„ xima, ſed principe oriri perturba-
„ tiones à facultate imaginandi, &
„ appetendi. Formari vero mores
„ diſciplina, educatione, ratione, aſ-
„ ſuetudine, quæ quamuis confe-
„ rant omnibus, in illis tamen, qui
„ per naturam ad virtutes ſunt faci-
„ les maiorem habent vim, & faci-
„ lius ad optatum finem perducunt.
Idemque repetit. *grad. 6. cap.8.* in quo ſpecialiter tractat de hæroicita-
„ te, per hæc verba. Præterea in
„ gradu moralium virtutum patefe-
„ ci virtutem omnem eſse compoſi-
„ tum amorem. Si alterum genus
„ principiorum conſideramus, quod
„ minus pertinet ad eſſentiam hæ-
„ roicæ virtutis, inueniemus eam

ful-

» fulgere posse, vel ob vehementem
» perturbationem, vel munere na-
„ turæ, fortunæ, & assuetudinis. Vt
„ pertinet ad vehementissimas per-
„ turbationes, scimus fulgere forti-
„ tudinem, & victoriam ex bello
„ cum hoste robustissimo. Præte-
„ rea si quis à Deorum cultu abhor-
„ reat, ad infames voluptates sum-
„ mopere sit procliuis, vt ad concu-
„ bitum cum feris, cum matre, cum
„ sorore, siue ad commedendos na-
„ tos suos; dum tam vehementes, &
„ infames perturbationes prosternit,
„ heroice refulgebit. Insuper ex na-
„ tura oriri potest fulgor, dum scili-
„ cet per naturam sumus faciles, val-
„ deque prodiues ad honestum, ad
„ actiones illustres, ad dilectionem
„ Dei, & proximi, nam tunc habi-
„ tus ad sublimem finem dirigentes
„ facilius, illustrius, & firmius in
„ nobis gignitur. Fortuna quoque
„ non leue momentum afferre po-
„ test, cum pro constituendo, tum
„ pro patefaciendo hæroico splen-
„ dore. Dum enim regia dignitate
„ nos ornat, instrumenta illustrium
„ virtutum nobis præbet, opportu-

„ nitatesque varias affert splendidi
„ operandi. At tunc si eius muneri-
„ bus congruenter vtamur hæroica
„ virtute facile refulgebimus. In vi-
„ ro enim principe, vt deteriora,
„ magisque perniciosa sunt vitia, ita
„ virtutes sunt illustriores, magis-
„ que salutares, cum sint exempla, &
„ duces vitæ populorum. Insuper
„ fortunæ bona sunt instrumenta vir-
„ tutum, & vitiorum. Virtus autem
„ instrumento, & viribus munita
„ longe illustrius fulget, quam eis
„ destituta. Præterea, qui fortu-
„ nam apprime aduersam nedum
„ constanter ferunt, sed animi ro-
„ bore superant, hæroice fulgent.

Ex his ergo patet, quod actus hæroici ad finem ciuilem non excedunt vires naturæ, cum ortum ducant ex præfatis causis naturalibus, sed tantummodo superant communem vsum operandi.

Qui vero actus existimandi sunt hæroici, non recenseo, quia cum non possit certa regula constitui in arbitrio iudicantium reliquendum est, & propterea poterit quisq; illos ex se iudicare, & quatenus exempla

requi-

requirat, abunde illa inueniet in tra-ctalibus eorum, qui de heroicitate virtutum scripserunt; & præsertim apud Brancatum a baurea virum in vnaquaque scientia & doctrina prestantissimum *de virt. Cardin. to.2. tit. de virt. haroi*.

Quo vero ad hæroicitatem in ordinem, & ad finem supernaturalem quæ propria est eorum, qui beatificationis & canonificationis honore sunt decorandi, multa videntur præmittenda, vt facilius appareat, in quo consistat, & quæ sit differentia super ea inter Canonistas, & Theologos.

Et primo præmittendum est, quod causæ omnes suprannarratæ, quæ inducunt hæroicitatem ad finem ciuilem, parum aut nihili habendæ sunt ad constituendã hæroicitatem ad finem supernaturælem, cum illius precipua, & vnica causa sit gratia diuina.

Secundo quod hæroicitas ad finem supernaturalem principaliter consistit in charitate in Deum, & in actibus ad finem æternæ beatitudinis consequendæ.

Tertio, quod nonnulli ſaſſerunt hæroicitatem ad finem ſupernaturalem conſiſtere in eodemmet fine, quatenus eſt ordinatus, & directus ad charitatem erga Deum, & proximum, & ad conſecutionem poſt mortem ſummi boni. Alij vero nedum in prædicto fine, ſed etiam in magnitudine operationum, ita vt eos tantumodo operatos fuiſſe hæroice dixerint, qui in eorum actionibus vel medium, quod impoſſibile eſt reſpectu infinitatis obiecti, quod eſt Deus, vel gradus illi proximiores, prout humana fert conditio, attigerunt.

Quarto, quod medium, in quo conſiſtit virtus non eſt reale, ſed rationis, ſeu vt alii loquuntur non arithmeticum, ſed geometricum, & ideo non ſemper idem, quodque medium alicuius virtutis ad finem ſupernaturalem quandoque peruenit ad talem terminum ratione finis, & obiecti, vt extremum eſſe videatur, prout eſt virginitas, quæ ad finem ciuilem conſidrata, vtpote contraria conſeruationis generis humani potius extremum effrenatæ

libidi

libidinis quam medium existimari debet, cum vtriusque dicti extremi medium sit legittima, & moderata maris,& fœminæ coniunctio. At ad finem supernaturalem perpensa non extremum, sed medium, illudque etiam imperfectum est iudicandum, quia cum homo teneatur diligere Deum toto corde, ac mente, & anima pura, prout vires humanæ patiuntur, non est ei vitio adscribendum, si vt id facilius assequatur, abstinet à quacumque voluptate carnali,quæ a diuinis semper abstrahit, & virginitatem seruat, cum huiusmodi abstinentia nedum perfectum, sed etiam illi longe proximum puritatis gradum,quod Deum colere tenetur, attingat.

Quinto quod vita, quam homines vt plurimum sectantur ad consequendam æternam beatitudinem duplex est actiua, & contemplatiua vt docet D. Thomas 22. *quæst.* 179. *art.* 1. *&* 2. *in corp.* quæ licet in domo Domini diuersa habeant officia, illa ministrando, ista vacando, germanæ tamen sunt; vt inquit D.Gregorius *homil,* 14. *super Ezechiel.* ac

maxima familiaritate connexę,ac se se mutuo vtplurimum adiuuantes, ita vt sicuti à vita actiua proceditur ad contemplatiuam; sic aliquando spiritus à contemplatiua vtiliter ad actiuam reflecti debet, vt affectibus, quibus contemplatiua accendit actiuam, actiua perfectius compleatur. Nam exercitio vitæ contemplatiuæ tanquam in speculo videtur quid in moribus corrigendum, quid perficiendum, quid conseruandum; ac in ea discitur, colere præcepta Dei humiliter, & adimplere perfecte, & cognoscitur quid facere, & quid vitare debeamus; ideoque actiui,& contemplatiui non vocantur, eo quia huic, vel illi vitæ totaliter incumbant absque eo quod nullatenus in alia se exerceant, sed eo quia magis vni,quam aliæ incumbant.

Sexto quod hæroicitas in canonizandis potest dupliciter considerari vel in actibus internis, videlicet in charitate in Deum, qua actus externi in vnaqnaque virtute gesti formantur, vel in actibus externis, qui peraguntur in aliqua virtute particulari. Hæroicitas, quæ, in charitate

consi-

consistit potest inesse in vnoquoque actu cuiuscumque virtutis,& in hoc verificatur dictũ Hostiensis *in c.1,de rel. & ven. sanct.* quod in canonizando oportet adesse tantam excellentem vitæ, & talia esse miracula, quæ sint supra vires, & potentiam naturæ, nec sufficere vnam tantum excellentiam, immo multas, & continuas requiri. De quo fusius infra. Hæroicitas vero,quę consistit in magnitudine operationum externarũ, non potest nullo modo inesse in pluribus virtutibus,quia impossibile est,vt quis actu in omnibus virtutibus se exerceat,cũ vna quandoq;impediat aliã,nec quilibet homo possit in omnibus excellere,vt per belle cecinit, & si Ethnicus insignis Poeta. Homerus *Illiade 13.his verbis*.

Vni non dat omnia Deus Verũ.
Dotibus hos illis,alios his dotibus auget.
Nec ratione pari dispensant cuncta. *Videsne*.
Hunc bellis præstare alijs virtutę gerendi.
Illum magno animo per aperta pericula ferri.

 Inde

Indeuictum? alios veloci excellere cursu.
Nonnullos cythara, neruis, atque arte canendi.
Diuersis ita diuersa dat Iupiter artes.
At quos consilijs voluit superare ferendis.
Mortales alios, & sana mente valere,
Hi sunt præcipue, qui possunt esse saluti.
Vrbibus & populis recte, rebusque gerendis.

Et docet D: Paulus *ad Efes.* 4. & *ad Chorinth.* 12. & *D. Thom. par.* 3. *q.* 7. *ad* 1. & D. Hieronymus *ad Pelag. dial.* 6. cum quibus concordat D. Ambrosius *lib.* 5. *super Luc. c.* 6. §. „ *de serm. Iesu* sic inquiens. Connexæ igitur sibi sunt, concatenatæque virtutes, vt qui vnam habet plures habere videatur, & sanctis vna competit virtus, sed eius quæ fuerit vberior, vberius est præmium. Quanta hospitalitas in Abraham. Quanta humilitas, & sanctitas, vt fratris filium ab hoste seruaret, & quanta absti-

„ abstinentia, vt nihil de præda quę-
„ reret; sed quia fide præstitit, fidei
„ præ cæteris meruit principatum.
„ Ergo vnicuique plura præmia,
„ quia plura incentiua virtutum,
„ sed quod in aliquo merito copio-
„ sius, hoc etiam in præmio redun-
„ dantius.

His præhabitis faciliter cognoscitur, in quo consistat hæroicitas ad finem supernaturalem, & ad effectum canonizationis. Nam quamuis supernaturaliter agatur operando secundum leges, & virtutes christianas, cum supra vires humanas agatur, & proinde dici possit lato modo hæroice operari, vt nonnulli sunt opinati, nihilominus, quia semper Deus est paratus gratiam ad hunc effectum necessariam præstare non videtur sufficiens quæcumque operatio ad inducẽdam hæroicitatem in canonizandis requisitam, sed necesse est, vt superet communem vsum operandi, & propterea crederem hæroicitatem prçfatam in duobus coniunctim consistere. Primo in omnimoda, continua, prompta, & hilari mandatorum ad finem su-

pernaturalem obſeruantia,& in omnium virtutum actuali nempe earũ, quæ ſtatui conueniunt, & virtuali, ſeu habituali aliarum, quæ ad ſtatum non pertinent operatione. Secundo in magnitudine operationum in aliqua ſpeciali virtute morali, ſi canonizandus ſecutus eſt vitam actiuam, & ſi ſectatus eſt contemplatiuam in aſcenſione ad ſublimiorem gradum contemplationis raptus, vel vnionis, quandoquidem ſic agens adeo eminenter, & in hæroico gradu vitam tranſiget, vt dubitari nequeat, quod non fuerit inſignitus ſpeciali, & maiori gratia diuina,quam alij communiter,& quod potius vir cæleſtis, quam humanus cenſendus non ſit. Ad quorum faciliorem intelligentiam reminiſci oportet, quod in via virtutis plures conſtituuntur gradus. Ab alijs duo tantum,progredientium,& progreſſorum. Ab alijs tres purgantium & perfectorum. Et ab alijs quatuor exercentium ſe in virtutibus ciuilibus,purificantium, proficientium,& exemplarium. At quicquid ſit de his diſtinctionibus, ſuper quibus

non

o c n proficientium

non insisto, certum est, & ab omnibus receptum, hæroicitatem consistere in gradu perfectionis. Ideoque dixi hæroicitatem consistere in obseruantia mandatorum ad finem supernaturalem, quia non satis est obseruantia ad alium quemcumque finem, cum ex fine supernaturali tantum deducatur, operâtem adimpleuisse præcepta ex gratia diuina. Nam cognoscere Deum,& reuereri, vt authorem naturæ potest etiam quilibet Ethnicus,& paganus naturæ suæ relictus, & solo Dei auxilio. At eumdem contemplare, & adorare ad finem supernaturalem, vt beãtem intellectuales,& rationales personas, & gratiam pręstantem, vt ametur toto corde, & ex tota anima, & præcepta legis, prout ordinantur ad præmia vitæ æternæ obseruentur, non possunt nisi Christi fideles, quibus gratiã primo in baptismo largiriDominus dignatur,successuque temporis liberum arbitrium gratiæ adiectione confirmat, & adiuuat, vt se per actus egregios ad vitæ æternæ consecutionem disponat. Addidi in omnimoda, &

continua mandatorum obſeruantia & in omnium virtutum operatione ad differentiam virtutum ad finem ciuilem. Nam in his poteſt aliquis excellere in aliqua particulari virtute, ita vt ſaltem in extimatione hæros habeatur, nec eſt neceſſe, vt alias poſſideat, quin immo ſæpè accidit, vt potius aliarum vice vitijs ſit obnoxius. Sic enim Ethnici. Aliqui namque in magnanimitate, & fortitudine hæroes extimati fuerunt, & in feritate vitioſi. Verum in hæroicitate ad finem ſupernaturalem, cū charitas erga Deum, & proximum ſit fundamentum, & forma cęterarum virtutum, non poteſt quis eam habere perfectam, niſi omnia præcepta, in quarum obſeruantia continentur omnes virtutes, quæ ad beatitudinem conſequendam ſunt neceſſariæ, adimpleat, cum deficiens in vno in omnibus fiat reus. Iacob. 6. Hinc dixit Hoſtienſis *in cap. primo de rel. & ven. ſanct.* non ſufficere vnam tantum excellentiam vitæ, imò multas, & continuam requiri, & non ſufficere, quod canonizandus in vno, vel ſemel tantum fuerit

glo-

gloriosus, sed requiri, quod in multis, & multoties, imò & continuè eius vita fuerit gloriosa. At illius dictum non ita rigorosè videtur intelligendum, vt canonizandus nunquam peccauerit, quia licet eius vita continuè debeat esse gloriosa, nō inde sequitur, hæroem non esse nuncupandum, si fortè humana fragilitate ceciderit, quia id Deus aliquando permtitit, vt se humanum, & caducum, non diuinum, & impeccabilem recordetur, vt non superbiat, sed humilietur, vt in timore, & tremore vitam transigat, vt cautior, & fortior euadat, vt illum probet, non vt deserat, habituque virtutis priuet, & demum vt illico resurgendo magis mæreatur, & post casum gloriosior cum triumpho resurgat. Prout etiam non est necesse, vt in omnibus virtutibus se exerceat, quia cum aliquæ inter se in eorum exercitio pugnent, impossibile est, vt omnes actu possideantur, & propterea sufficit, quod actu se exercuerit in ijs, quæ ad statū pertinent, & habitu in ijs, quæ illius statum non respiciunt. Dixi insuper,

hæroi-

hæroicitatem consistere in prompto & hilari mandatorum Dei, & virtutum exercitio, quia cum natura humana post lapsum Prothoplastis ita debilis, & sauciata remanserit, vt nedum ad malum prona sit, sed etiam non valeat bonum absq; repugnantia operari, quousque cum illa agit semper in purgantium, & proficientium gradu permanet, nec perfectorum metam attingit, nisi penitus ea superata, bonum hilari, & prompto animo operatur. Nec aduersatur, quod concupiscentia, ex qua oritur repugnantia minui potest non autem omninò tolli in hac vita, quia duplex considerari potest concupiscentia, seu repugnantia. Alia sensus, alia mentis. Repugnantia sensus nunquam potest in totum tolli, quin suos producat effectus, nisi supernaturali dono id Deus efficiat, cum temperamentum, quod quisque in natiuitate sortitur semper firmum maneat, quamuis possit vel benigna astrorum configuratione, vel contrario cibo, & alimento aliqualiter variari. At repugnantia mentis licet non possit quandoque tolli, quin

primos motus ex temperamento prodeuntes non producat, ex multiplicatis tamen actibus secundum virtutem ita mens potest assuefieri ad bonum, vt statim illos compescat, & abominetur, ac prompto, & hilari animo, quod ratio, & virtus dictat exequatur, quod etiam cognouit Lucretius *de rerum natura lib. 3. vers.* 307. quamuis animam crediderit mortalem, sic inquiens.

Sic hominum genus est, quamuis doctrina politos.
Constituat pariter quosdam; tamen illa relinquit.
Naturæ quoiusque animi vestigia prima.
Nec radicitus euelli mala posse putandum est.
Quin pro clinius hic iras decurrat ad acreis.
Ille metu citius paullo tentetur: at ille.
Tertius accipiat quædam clementius æquo.

Et in hac hilaritate, & promptitudine ad omnia mandata Dei, & virtutes consistit gradus perfectionis, & hæroicitas virtutũ de qua agitur.

Cæte-

Cæterum nec iſta videtur ſufficiens ad canonizationem, ideoque dixi ſecundo loco ſeruum Dei debuiſſe excellere magnitudine operationum in aliqua particulari virtute, vel in contemplatione, quia cum canonizatio fuerit inſtituta in Eccleſia catholica, non ſolum vt Deus glorificetur in ſanctis ſuis, ſed etiam vt Chriſti fideles illum imitentur, finem non aſſequerentur, ſi hæroicitas conſiſteret tantummodo in promptitudine, & hilaritate operandi ad finem ſupernaturalem, cum hilaritas præſertim non ſit ſubiecta ſenſibus adeo vt percipi poſſit, qualis eſſe debeat vt huiuſmodi hætoicitas acquiratur. Ideoque oportet, vt ſeruus Dei egerit opera, quę magnitudine excedant communem modum. Nec iſta magnitudo in operationibus debet eſſe proportionata medio, in quo conſiſtit virtus ciuilis, ſed longius illud excidere, cum medium virtutis ad finem ciuilem conſiſtat in medijs naturalibus, at virtutis ad finem ſupernaturalem, cum alterum extremum ratione obiecti, quod eſt Deus, ſit ſuperna-

tu-

turale, & infinitum, nedum poteſt operibus naturalibus attigi, ſed nec etiam per immenſa ſpatia gradus illi longiſſime diſtantes aſſequi, ad eo vt hoc medium comparatum altero virtutis ciuilis potius iudicandum ſit extremum, vt ſupra dictum fuit, de virginitate. Et hæc eſt virtus, quæ præcipue oritur ex ſpeciali dono Dei, & non omnibus eadem, ſed vnicuique ſeruo ſuo Deus diuerſimode impartitur, dicente D. Paulo ad
„ Epheſios 4. & ipſe dedit quoſdam
„ Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios
„ Prophetas, & *ad Corinth. cap.* 12.
„ Vnicuique autē datur manifeſta-
„ tio ſpiritus ad vtilitatem. Alii qui-
„ dem per ſpiritum datur ſeruo ſa-
„ pientiæ, alii autem ſermo ſcien-
„ tiæ ſecundum eumdem ſpiritum.
„ Alii fides in eodem ſpiritu. Alii
„ gratia ſanitatum in vno ſpiritu,
„ alii operatio virtutum; alii pro-
„ phetia, alii diſcretio ſpirituum,
„ alii genera linguarum; alii inter-
„ pretatio ſermonum.

Firmato igitur in quo conſiſtit hæroicitas in ordinem ad canoniza-

tionem, remanet videndum, in quibus Canoniſtæ, & Theologi conueniant, & in quibus differant. Et proculdubio conueniunt in eo, quod hæroicitas dirigitur ad finem ſupernaturalem, & ad aſſecutionem æternæ beatitudinis, & quod ſuperat communem vſum operandi. Differunt vero, quia Canoniſtæ illam ſtatuere videntur primario in actionibus externis, & ſecundario in internis. Theologi vero è contra, vt infra patebit. Nec alia huiuſce differentiæ videtur aſſignanda ratio, niſi quia Theologi conſiderant actus internos, in quibus vere, & principaliter conſiſtit charitas, qua canonizandi tenentur colereDeum, nō autē externos, qui poſſunt eſſe nō formati in Deū, quamuis maximi exiſtant. Canoniſtæ vero actus externos primario conſiderant, non vt illos exiſtiment præferendos charitati in Deum, ſed quia cum actus interni ſint ſoli Deo noti, nec probentur niſi per ſigna, & actus externos ex eorum magnitudine inferunt qualis, & quanta ſit in Deum charitas, & amor

mor. Ideoque Innocentius IV. omnium antesignatus *in cap. primo* de rel. & vener. sanct. sic ait Et fit
„ regulariter hæc canonizatio, quã-
„ do per probationes constat de fi-
„ de, & excellentia vitæ, & miracu-
„ lis eius, qui petitur canonizari
„ arg. supra de testib. venerabili. Et
„ oportet tantam esse excellentiam
„ vitæ, & talia esse miracula, quæ
„ sint supra vires, & potentiam na-
„ turæ. Item non debet esse vna tan-
„ tum excellentia vitæ immo opor-
„ tet esse multas, & continuas, vt
„ habes ecclesiast. c. 44. vbi dicitur
„ laudemus viros gloriosos &c. Idẽ-
„ que, & per eadem met verba tradit Hostien. in prefato *cap.* 1. *de reliq. & vener. sanct. num.* 4. *in fin.*& clarius, & magis specifice idem Hostien. *in cap. venerabil. de testib. & attestat.* cuius dictum reperitur in gl. *verbo Sedis Apostolicæ in cap.* 1. *de reliq. & vener. sanct. in* 6. quibus in locis declaratur, in quo consistat excellentia vitæ in canonizandis his verbis. Et nota quod antequam canonizetur, & in sanctorum
„ cathalogo colloccetur, seu scriba-
tur

„ tur, inquirendum eſt non ſolum
„ de miraculis, immo & de vita,
„ vtrum ſilicet vita ei teſtimonium
„ prebeat pro laboribus multis, pro
„ moribus caſtis, pro actibus ſtre-
„ nuis 61. diſtin. *miramur.* Oportet
„ autem hoc præſenti teſtificatione
„ prædicari, & bonæ famæ præco-
„ mijs non taceri 12.*q.2. quatuor*, &
„ maxime queri debet de ſimplicita-
„ te, & humilitate *argum. infra de*
„ *præſum. ex ſtudijs*. Nam ſuperbis
„ Deus reſtitit, humilibus autem dat
„ gratiam. Debet etiam quæri an
„ in vita perſecutiones paſſus fuerit
„ 7.*q.* 1. *omnes quæ gemebat*, *& cap.*
„ *ſuſpectum eſt*, *& ſequent.* & vtrum
„ ex charitate hoc paſſus ſit 1.*quæſt.*
„ 1. *Vide quantum bonum ſit chari-*
„ *tas*.

Præfatos authores ſequuti ſunt in *cap venerabili de teſt.Abb.Aret.Felin. Bald. num.* 1. *Butr. Bellamera, & Io. Andreas num.* 2. *& DD. communiter in c.* 1. *de rel. & vener. ſanct. Caſſan in catal. gl. mund. par.* 3. *conſid.* 49. *in princ.Contel de canoniz. ſanct. cap.* 14. *num.*2.

Hæc tamen doctrina Innocentij

& Ho-

& Hostiensis non est ita simpliciter intelligenda, vt non egeat aliqua explicatione. Nam in eo quod dicit. Oportere esse tantam excellentiam vitæ, & talia esse miracula vt sint vltra vires & potentiam naturæ, nec sufficere vnam excellentiam vitæ, immo multas & continuas requiri, ac non sufficere, quod in vno vel semel tantum fuerit gloriosus, sed requiri quod in multis, immo & continue eius vita fuerit gloriosa, & quod excellentia vitæ & miracula talia esse debent, vt excedant vires & potentiam naturæ cadit aliqua difficultas: Nam si illa verba, non sufficere, quod in vno, vel semel fuerit gloriosus, sed requiritur quod in multis &c. intelliguntur de hæroicitate plurium virtutum, & non de actibus hæroicis multiplicatis vnius tantum virtutis, subsistere nequeunt, cum adhoc vt quis canonizetur non sit necesse, quod in multis virtutibus, sed satis est quod in vna tantum virtute hæroice te gesserit
„ dicente D. Paulo *ad Effes*.4. Et ip-
„ se dedit quosdam quidem Apo-
„ stolos, alios vero Euangelistas,

alios

„ alios autem Paſtores, & Doctores
„ ad conſumationem ſanctorum
„ in opus miniſterij in ædificatio-
„ nem corporis Chriſti, *& ad Corinth.* 10. Vnicuiq; &c. de quibus ſupra.
Quare D. Thomas 1.2.*q.*66.*art.*2. Sic
„ ait Si omnes virtutes eſſent æque
„ intenſæ in vno, & eodem ſequere-
„ tur, quod quicumque excederet
„ aliquem in vna virtute, excederet
„ ipſum in omnibus alijs virtutibus
„ ſed hoc patet eſſe falſum, quia di-
„ uerſi ſancti de diuerſis virtutibus
„ præcipuelaudantur, ſicut Abraham
„ de fide, Moyſes de manſuetudine,
„ Iob de patientia. Vnde de quoli-
„ bet confeſſore cantatur in eccleſia
„ non eſt inuentus ſimilis illi, qui
„ conſeruaret legem excelſi, eo quod
„ quilibet habuit prærogatiuam ali-
„ cuius virtutis. Idemque dixit Bo-
„ zius *de ſign. eccl. Dei lib.* 7. *ſign.* 3.
„ *cap.*7. *fol.*285. dum Inquit. Nam
„ quamuis virtutes ſint inter ſe con-
„ nexæ, vt nemini ſit vna; quin ei-
„ dem ſint omnes; idem tamen om-
„ nium functiones peragere non po-
„ teſt, quia ſi vni maxime ſtudeat,
„ remittitur vis eius quo ad opera

alia-

„ aliarum, cum tamen paratus sit,
„ vbi opus est ad illa efficienda, vt
„ etiam de vnoquoque dicere vere
„ possit. Non est inuentus similis
„ illi, qui conseruaret legem excelsi.
Confirmaturque in sanctis, in quorum canonizatione impendi operam; in ijs vna tantum virtus præter charitatem in Deum, quæ in omnibus extitit eximia, fuit illa quæ eos reddidit gloriosos, & summis laudibus dignos, cum illam in hæroico gradu possederint; licet alijs virtutibus fuerint ornati. Sanctus enim Thomas de Villanoua in omnibus refulsit, hæroica tamen in eo fuit misericordia in pauperes, & hæc fuit communiter in illius canonizatione pre cæteris celebrata. Sanctus Franciscus de Sales in conuersione hæreticorum ita excelluit, vt in ea supra vires naturæ operatum fuisse omnes iudicauerint. Sanctus Petrus d'Alcantara in pœnitentia, & contemplatione insignis fuit acclamatus, & sic alij canonizationis honore decorati in vna tantum virtute refulserunt. Et propterea crederem, quod in processibus canonizationū

necesse est primo probare, quod is, qui petitur canonizari, habuerit omnes virtutes, & ad hoc sufficere si probetur illius sanctitas in genere. Deinde oportet, vt constet per actus positiuos, quod possederit, & se exercuerit in virtutibus præsertim theologalibus fidei, spei, & charitatis in Deum, & proximum, inter quas debet excellere eximia, & non vulgaris charitas, & in alijs, quæ sunt necessariæ ad salutem, & insuper in ijs, quæ eius instituto, & statui conueniebant, & has necesse est probare per actus externos, qui satis sunt etiam si non excesserint communem vsum operandi, & demum requiritur, quod in aliqua particulari virtute hæroice se gesserit, vt in illa Christi fideles habeant exemplũ imitandi, & hæc quo ad actus externos debet excedere communem vsum operandi, & quo ad internos, nempe quoad finem operandi, vires naturę, cum debeant esse formati eminenti, & hęroica charitate.

Interpretanda quoque venit doctrina Innocentij, & Hostiensis in eo quod dicit excellentiam vitæ, & mi-

racula debere excedere vires, & potentiam naturæ. Nam illius dictum vel debet restringi ad miracula, vel intelligi de excellentia vitæ, quatenus consistit in charitate in Deum, & in actibus intrinsecis formatis eadem charitate, vt infra dicetur alias de actibus tantummodo extrinsece consideratis nullo modo potest subsistere, quia omnes actus extrinseci, qui peraguntur à seruis Dei possunt naturaliter fieri, & excedunt tantū vires naturæ, quatenus formantur charitate in Deum. Non enim maior actus fortitudinis peragi potest, quam mortem hilari animo subire per Christi nomine, & nihilominus multi hæretici, quia noluerunt abiurare eorum falsa dogmata mortem passi sunt, vt testatur Mascardus *de prob. concl.29. nu.11.cum seqq.* Ethnici innumeri pro defensione patrię,seu pro actibus ab eis,vt opinabātur præclare gestis potius mori, quā turpiter viuere elegerunt. Quamplurima extant exempla eximiæ charitatis erga patriam. Egregia fuit illa Temistoclis relata à Valerio Maximo *lib. 5. capit.6.* & Eborense *in exempl. tit. de charit. erga patr.* quem virtus sua

victorem; iniuria patriæ imperatorem Persarum fecerat, vtque se ab ea opugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum patera tauri sāguinem hausit, & ante ipsam aram, quasi quædam pietatis delata victima concidit. Curtij Romani, de qua Valerius Maximus, *vbi supra*, & Sabellicus *Exem.lib.*8.*c.*1. qui vt patriam seruaret præcisa omni spe salutis in profundam se præcipitauit voraginem. Codri Atheniensium Regis ab eodem Maximo *vbi supra* & Eborensi *in exempl. tit. de charit. erga patr.* scripta, qui cum ingenti hostium exercitu Attica debellata, ferro, igneque vastaretur, diffidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam graue bellum discuti posset. Respondit ita illi finem fore, si ille hostili manu occidisset. Quod quidem non solum totis Athiniensium castris, sed etiam contrarijs percrebuit. Eoque factum est, vt ediceretur, ne quis Codri corpus vuulneraret. Idq; postquā cognouit, depositis insignibus Imperij, familiarem cultum induit, & palantium
ho-

hostium globo se se abiecit. Vnumque ex his falce percussum in cædem suam compulit, cuius interitu, ne Athenæ occiderent effectum est; Extremæ itidem paupertatis exemplum est Anaxagoræ *Valer. Max. lib. 8. c. 7. Sabell. lib. 2. cap. 1. Eboren. in exem. tit. de contempt. diuitiar.* qui vt expeditior sapientiæ incumberet, campestre prædium ad compascui vsum, suis reliquit ciuibus, cæteraque domesticis partitus est. Democriti *Val. max. Sabell. & Eboren. vbi supra* qui non modo cuncta aspernatus est, sed luminibus etiam se priuauit, vt contemplationi incumberet, & Diogenis *Sabell. lib. 3. cap. 15. Io. Guallen. in florileg. part. 3. dist. 2. capit. 2. & seq.* qui dolio contra frigora, & calores eoque parum integro, soloque pallio, & pera fuit contentus, pedibus, & capite semper discoopertus incessit, poculumque fregit rusticum cauis manibus potantem intuitus. Mirificæ etiam beneficentiæ erga inimicos, & offensores Licurgi *Sabell. libr. 5. cap. 3. Eboren. de char. erga inim.* qui post datas Lacidemonis leges non modo æquo animo tulit oculi cæcitatem ab Alexandro

 ado-

adolescente temerarie illatam, sed ipsum iniuriç authorem sibi deditum benigne, clementerque penes se tamdiu habuit, quo ad larga consuetudine ex improbissimo factus est omnium frugalissimus. Et ne longior sim in recēsendo Ethnicorum exempla ad saturitatem legi poterunt in quacumque virtute apud Val. Maximum *dictorum*, *factorum memorabilium*. Andream Eborensem *exempl.* Sabellicum *eo. tit.* Fulgosium *rerum memorabilium*. Textorem *in officina* Brussonum *fact.* & *exemplor.* & alios, qui similia exempla typis mandarunt. Vnde liquet, quod præfati actus, seu facinora naturaliter peraguntur, quia ethnici nullo impulsu diuino, sed tantum lumine naturæ edocti præfata operati sunt. Ideoque idem Hostiensis inter alia requisita ad canonizationem in supra relato *capit. venerabili de testibus* dixit debere inquiri. An ex charitate persecutiones passus fuerit, & merito, quia, vt inquit, D. Gregorius *in regēstr.* Martyrem non facit pæna, sed causa, quod idem procedit in quacumque virtute, cum absque charitate nomen perfectæ virtutis

non

non mereatur, & charitas sit radix, & fundamentum omnium virtutum secundum D. Thomam 1. 2. *qu.* 62. *art.* 4. *in corp.* & *quæst.* 65. *art.* 4. *in corp.*

Theologi demum altius contemplantes asserunt hæroicitatem virtutum consistere principaliter in actibus internis, & præsertim in charitate in Deum; à qua omnes aliæ virtutes formantur, secundario verò in externis sequuti doctrinam D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 61. *art.* 5. *in corp.* ibi
„ patet igitur, quod exemplar hu-
„ manæ virtutis in Deo præexistat,
„ sicut etiam in eo præexistunt om-
„ nium rerum rationes. Sic igitur
„ virtus potest considerari, vel pro-
„ ut est exemplariter in Deo, & sic
„ dicuntur virtutes exemplares, ita
„ scilicet, quod ipsa diuina mens in
„ Deo dicatur prudentia. Tempe-
„ rantia vero conuersio diuinæ in-
„ tentionis ad se ipsum, sicuti in no-
„ bis temperantia dicitur per hoc,
„ quod concupiscibilis conforma-
„ tur rationi. Fortitudo autem Dei
„ est eius immutabilitas. Iustitia
„ vero Dei est obseruatio legis æter-
„ næ in suis operibus, sicut Plotinus

,, dixit. Et quia homo secundum
,, suam naturam est animal politi-
,, cum, virtutes huiusmodi, prout in
,, homine existunt secundum condi-
tionem suæ naturæ politicæ vocã-
,, tur, prout scilicet homo secundum
,, has virtutes recte se habet in rebus
,, humanis gerendis, secundum quẽ
,, modum hactenus de his virtuti-
,, bus loquuti sumus. Sed quia ad
,, hominem pertinet, vt etiam ad di-
,, uina se trahat quãtũ potest, vt etiã
,, Philosophus dixit 10. *ethic.* & hoc
,, nobis in sacra scriptura commen-
,, datur multipliciter secundum
,, illud Matth. 5. Estote perfecti, si-
,, cut & Pater vester cælestis perfe-
,, ctus est, necesse est ponere quas-
,, dam virtutes medias inter politi-
,, cas, quæ sunt virtutes humanæ,
,, & exemplares, quæ sunt virtutes
,, diuinæ, quæ quidem virtutes di-
,, stinguuntur secundum diuersita-
,, tem motus, & termini, ita scilicet,
,, quod quædam sunt virtutes tran-
,, seuntium, & in diuinam similitu-
,, dinem tendentium, & hæ uocantur
,, virtutes purgatoriæ, ita scilicet,
,, quod prudentia omnia mundana
,, diuinorum contemplatione despi-
ciat

„ ciat, omnemque animæ medita-
„ tionem in diuina sola dirigat.
„ Temperantia vero relinquat in
„ quantum natura patitur, quæ cor-
„ poris vsus requirit. Fortitudinis
„ autem est, vt anima non terreatur
„ per excessum à corpore, & acces-
„ sum ad superna. Iustitia verò est,
„ vt tota anima consentiat ad huius-
„ modi præpositi viam. Quædam
„ vero sunt virtutes iam assequen-
„ tium diuinam similitudinem, quæ
„ vocatur virtutes iam purgati ani-
„ mi, ita scilicet quod prudentia
„ sola diuina intueatur. Temperan
„ tia terrenas cupiditates nesciat.
„ Fortitudo passiones ignoret. Iu-
„ stitia cum diuina mente perpetuo
„ fædere societur, eam scilicet imi-
„ tando, quas quidem virtutes dici-
„ mus esse beatorum, & aliquorum
„ in hac vita perfectissimorum. Hæc D. Thomas. Et hi actus interni, qui dicuntur esse beatorum non perficiuntur ab hominibus, nisi impulsu donorum Spiritus Sancti, quibus fuerunt à Deo decorati, vt infra patebit.

Verum quia à nonnullis, vt supra dictum fuit constituuntur tres gra-

dus in via virtutis purgantium, proficientium, & perfectorum, non in congruum si vnicuique gradui assegnetur altera ex prænarratis heroicitatibus. Nam existentibus in via purgatiua, in qua homo nedum peruenit ad habitum virtutis, & fortè quandoque in altera illarum claudicat, tribui potest hæroicitas ad finem ciuilem, ad cuius assecutionem non est necesse, vt quis sit omnibus virtutibus ornatus, sed satis est, vt aliqua tantum virtute excellat. His vero, qui existunt in via illuminatiua, seu proficiētium, & habitum virtutis sunt adepti, & operantur cum charitate in Deum assignari potest hæroicitas ponderata à Canonistis, quæ principaliter cōsistit in magnitudine operationum extrinsecarum, & secundario in actibus intrinsecis eo quia actiones heroicæ aliquando potest contingere, vt fiant ab his cum aliqua repugnantia intrinseca, quod proprium est proficientium. Et demum illis, qui gradum perfectionis sunt assecuti: videtur pertinere hæroicitas ponderata à Theologis, quæ principaliter consistit in actionibus intrinsecis, & secundario

in extrinſecis, eo quia operantur hilariter, prompte, & cum maximo gaudio, & delectatione vt patet ex ſupra relata doctrina D. Thomæ.

Cui pariter congruit ponderatio, quæ fieri poteſt in donis Spiritus Sancti. Nam ſeptem dona numerantur, appellanturque Sapientia, Intellectus, Conſilium, Scientia, Fortitudo, Pietas, & Timor, & his quoque nominibus nuncupantur virtutes, & propterea triplici modo poſſunt cōſiderari, & poſſideri. Primò naturaliter, vel per habitum acquiſitum non tamen formatum charitate in Deum; & tunc illarum actus hæroici referendi ſunt ad hæroicitatem quã Philoſophi ſtatuunt ad finem ciuilem. Secundò poſſunt poſſideri ab hominibus ob habitum virtutis acquiſitum formatum in Deum charitate, & tunc hæroicitas eorumdem conſtituenda eſt, vt Canoniſtæ tradunt, cum in ea principalis ratio habeatur de actibus extrinſecis ipſius virtutis, & ſecundario de charitate in Deum, à qua formantur. Et tertiò prout ſunt dona Spiritus Sancti; & tunc illarum poſſeſſio conſtituit hominem in gradu hæroico ponde-

rato à Theologis, quia cum præfatæ virtutes, prout reguntur à donis Spiritus Sancti perficiant hominem, vt sequatur diuinum motum, & iste motus præsertim consistat in actibus internis, ex quibus resultat hilaritas, promptitudo, & gaudium, in quo statuunt Theologi heroicitatem, inde sequitur, quod hæroicitas à donis constituta conueniat illi, quæ à Theologis consideratur. Hinc D.
,, Thom. 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. *ad* 1.
,, inquit: Quod huiusmodi dona
,, nominantur quandoque virtutes
,, secundum communem rationem
,, virtutis. Habet tamen aliquid
,, supereminens rationi virtutis cō-
,, munis in quantum sunt quædam
,, diuinæ virtutes perficientes homi-
,, nem in quantum est à Deo motus.
,, Vnde Philosophus in 7. *ethic.* supra
,, virtutem communem ponit quan-
,, dam virtutem hæroicam, vel diui-
,, nam secundum quam dicuntur
,, aliqui diuini viri. Et clarius 2. 2.
,, *quæst.* 159. *art.* 2. *ad* 1. ibi dicen-
,, dum, quod clementia est virtus
,, humana, vnde directè sibi opponit
,, crudelitas, quæ est malitia huma-
,, na. Sed seuitia vel feritas contine-
tur

„ tur sub bestialitate. Vnde non di-
„ rectè opponitur clementiæ, sed su-
„ per excellenti virtute, quam Phi-
„ losophus vocat hæroicam, vel di-
„ uinam, quæ secundum nos videtur
„ pertinere ad dona Spiritus Sancti.
„ Vnde potest dici, quod seuitia di-
„ rectè opponitur dono timoris.

Ex quo textu patet, quod etiam Philosophi antiqui cognouerunt hæroicitatem posse considerari ad finem supernaturalem, & quod vltra finem ciuilem datur supernaturalis, ad quem dirigi possunt nostræ operationes, vt claré etiam scripsit Piccolomineus *de morib. grad. 6. cap.* 8. his verbis.

„ Si verò hæroica fuerit
„ per eleuationem ad finem vlterio-
„ rem, & sublimiorem, quæ magis
„ proprie hæroica dicitur, ea simili-
„ ter oritur ex flagranti eius finis
„ amore, ex vehementique desiderio
„ connexionis cum vltimo fine, qua
„ dilectione si mundum, & proxi-
„ mum quoque diligimus, solum id
„ facimus per relationem ad Deum.
„ Hęc secunda, & præclara dilectio
„ nota Philosophis congruenti ra-
„ tione respondet eminenti charita-
„ te Theologorum. Hic est spiritus,

„ & vita, & forma hæroicæ dignita„ tis, sine qua nec esse, nec seruari valet. Sed quia carebant lumine fidei, & veritatis reuelatæ, qualis esse iste finis supernaturalis pænitus ignorarunt.

Nec ex eo quod dictum est dona Spiritus Sancti consistere in præfatis virtutibus, quæ etiam ijsdem nominibus morales recensentur, potest inferri, quod in reliquis, & præsertim in Theologalibus, & Cardinalibus desiderentur, quia cum vnumquodque donum respondeat supradictis virtutibus Theologalibus, & Cardinatibus, in ipsis quoque hæroicitatem existere vi donorum asserendum est. Dona enim intellectus & scientiæ correspondēt fidei *S. Th.* 2. 2. *quæst.* 8. *&* 9. *in princ. vbi Bañez. Philip. à SS. Trinit. Theol. mist. par.* 2. *tract.* 2. *dist.* 2. *art.* 3. Donum sapientiæ charitati *S. Thom.* 2. 2. *q.* 45. *vbi Benez, & Philip. vbi sup.* Donum consilij prudentiæ *S. Tho.* 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 6. *ad* 1. *&* 2. 2. *qu.* 55. *Philip. vbi sup. art.* 4. *in fin.* Donum pietatis Iustitiæ *S. Tho.* 22. *qu.* 121. *Philip. vbi sup. art.* 5. *in fin.* Donū fortitudinis fortitudini. *S. Tho. q.* 139.

art.

art. 1. ad 3. Philip. vbi supr. art. 6. Et demum donum timoris respondet virtutibus spei Theologicæ, & Temperantiæ. *D. Thom. 1. 2. quæst. 68. art. 4. ad 1. & 2. 2. quæst. 19. & quæst. 141. art. 1. ad 3. Philip. vbi sup. art. 3. & 7. in fin.*

Cum igitur manifestum sit ex supra dictis, quod hæroicitas in ordinem ad canonizationem potest duplici modo principaliter considerari, vel in actibus internis, vel externis, quæ ex his sit magis attendenda non ita manifestè liquet. Nam debere potius vim fieri in actibus externis, vt placet Canonistis suadent quod hæroicitas adducta à Theologis consistit in actibus internis, quorum solus Deus scrutator est, nec valet Ecclesia illos deiudicare. Item quod canonizatio inter cætera fuit instituta, vt fideles imitentur actiones serui Dei canonizandi, quodque id assequi non valerent, si hæroicitas constitueretur in internis, quæ oculis, alijsque sensibus corporis percipi nequeunt. Et demum quod heroicitas actuum internorum non potest dignosci, & probari nisi per externos. E contra vo-

ro, quod magis attendenda sit hæroicitas actuum internorum, vt opinantur Theologi, quod magis inuestigandum sit, in quo gradu charitatis in Deum actus fuerint gesti; vrget, quod anima est nobilior sensibus, ideoque illius actus sunt magis habendi in consideratione. Item quod actus externi non merentur attendi, nisi quatenus sunt formati charitate in Deum, ita vt plurimi sit existimandus actus eleæmosynæ, aut alterius virtutis, quamuis minimus peractus cum feruenti charitate in Deum, quam alius, & si maximus gestus ad finem tantum ciuilem, & amore honesti. Et demum quod actus externi non excedunt vires naturæ, interni vero in infinitum se extendunt ad mensuram gratiæ, quam Deus fidelibus à se vnicè dilectis ad hunc effectum dignatur impartiri.

Hanc tamen opinionum discrepantiam crederem facillime posse distinctione conciliari. Nam indubitatum est, quod duæ sunt viæ, quæ ducunt ad perfectionem virtutis. Altera actiua, altera contemplatiua. Item quod licet sit vna virtus cha-

ritatis, hæc tamen habet riuulum à se dimanantem. Fluuius inundans est charitas in Deum, riuulus charitas in proximum propter Deum. Item quod connectuntur vita contemplatiua, & charitas in Deum, ac vita actiua, & charitas in proximum, & demum quod charitas in Deum, & vita contemplatiua consistit præsertim in actibus internis, & vita actiua,& charitas in proximum principaliter in externis siue spiritualiter, siue corporaliter illi opitulemur. Et propterea si agitur de seruo Dei, qui vitam actiuam sit secutus,censerem principaliter ex quirendos esse illius actus externos, eorumdemque magnitudinem ad cõstituendam hæroicitatem,cum exercitijs vitæ contemplatiuæ tantummodo fuerit vsus ad meliorem vitæ actiuæ operationem, & actibus charitatis in proximũ totus incubuerit, qui vt plurimum consistunt in operibus misericordiæ, quæ per actus externos exercentur. Si vero agitur de seruo Dei, qui vitam contemplatiuam sectatus est, anteponendos esse actus internos existimarem, cum in vita contemplatiua charitas

in proximos catenus exerceatur, quatenus ob necessitatem, vel ob præceptum obedientiæ, vel stimulo charitatis proximo quis tenetur succurrere.

Verum non leue insurgit dubium, quonam modo constare debeat per iuridicas' probationes de hæroicitate actuum internorum vi donorum Spiritus Sancti gestorum, cum Ecclesia non valeat de illis iudicare nisi per actus externos, qui quandoq; sunt adeo minimi, vt nec dum supra, sed longe sint infra communem vsu m operandi, vt supra dictum fuit de eleemosyna. At huic difficultati facillime occurritur, si perpendatur; quod dona sibi inuicem connectuntur cum charitate, & quod producunt fructus, qui duodecim numerantur ab Apostolo ad Galat. 5. Charitas nempe, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, & castitas, & quod efficiunt, vt possidentes fruantur octo beatitudinibus, de quibus Matth. 5. & propterea si probetur Seruum Dei ornatum fuisse charitate, & in eo emicuisse donorum fructus, & beatitudines,

procul dubio erit etiam affirmandum, ipsum operatum fuisse vi donorum Spiritus Sancti vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst. 68. art. 3. in corp. & qu. 70. art. 3. in corp.*

Signa vero, ex quibus probatur aliquem seruum Dei operatum fuisse ex charitate, decem numerantur à D. Antonino *in sum. par. 4. tit. 6. cap. 2. §. 7.* & eadem recensentur à B. Laurentio Iustiniano *in libro vitæ tit. de charit. cap. 11.* Quorum primum est, cum quis libenter, & fructuosè cogitat de Deo. Secundum cum quis libenter de Deo audit, & audita retinet memoriæ. Tertium cum quis libenter cum Deo loquitur, quod fit in oratione, & cum libenter de Deo loquitur. Quartum, cum quis libenter dat pro Deo. Quintum, cum quis libẽter pro Deo patitur. Sextum, cum quis mandata Dei obseruat. Septimum, cum quis amat, quæ Deo placent, & odit quæ Deo displicent. Octauum, cum quis frigescit à sollecitudine, & amore mundi. Nonum, cum quis magnum honorem exhibet ministris Dei. Decimum cum quis promptus est, & facilis ad bene operan-

dum

dum propter Deum.

Et ſigna nonnulla, ex quibus cognoſcitur, ſeruum Dei operatum fuiſſe vi donorum Spiritus Sancti tradit Medina *In D. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 68. *art.* 8. *fol. mihi* 352. §. *aliud fundamentum* dum inquit, quod quando quis facit opus virtutis, quod non legitur in diuinis eloquijs, non habetur ex auditu, nec exemplum eius habetur in omni ætate, ſignum eſt, quod fit ab inſtinctu Spiritus ſancti. Item ſi quis opus bonum, & ſtudioſum, quod ratione humana, & conſilio humano inueſtigari non valet ad inſtinctum Spiritus ſancti referendum eſt, vt ſi quis moueatur ad nauigandum ad terram in cognitam, quia Spiritus Sanctus dicit multos ſe in ea ad noſtram religionem conuerſurum. Ad hoc enim non ſufficit fides, neque humana prudentia, ſed donum ſapientiæ, & intellectus, quo eruditur homo, & donum fortitudinis, vt infracto animo id onus aggrediatur. Et demum quando non poteſt aſſignari ratio facti, & opus eſt ſtudioſum, & rectum in inſtinctum, & donum Spiritus ſancti referendum eſt.

Quomodo autem probentur, beatitudines, quibus frui solent Serui Dei vi donorumSpiritus sancti, tradit pariter D. Thom. 1. 2. *quæst.* 69. *art.* 3. *in corp.* Et quomodo probetur heroicitas in seruis Dei, qui vitã contemplatiuam sunt, sequuti, quia colligi valet ex informatione; quam sub alieno nomine impressam ergo tamen peregi super virtutibus theologalibus Beatæ Margaritæ de Cortona, ideo illam alias Deo dante imprimere curabo, vt saltim tyronibus, qui causis beatificationum & canonizationum tractandis in congregationibus coram Sanctissimo & S. R. E. Cardinalibus, ac alijs quam plurimis eximijs, ac præstantissimis in omni scienciarum genere viris, qui ad consulendum adhibentur, incubuerint, habeant, si placuerit, ad imitandum exemplar.

Et licet contra omnia supradicta, quoad hæroicitatem ad finem supernaturalem; siue principaliter consistat in actibus internis, siue externis possit opponi, quod actus interni charitatis in Deum, & proximum, à quibus alij cæterarum virtutum for-

mam

mam, & robur accipiunt, nunquam plene probentur, cum actus externi possint esse simulati, & ficti, nihilominus, si probetur humilitas, & perseuerantia in bonum, & miracula post mortem à Deo intercessione canonizandi patrata, nulla prorsus remanebit ansa dubitandi, quod actus externi nō fuerint formati charitate in Deum, & proximum, & quod non probentur gesti vi donorum Spiritus Sancti.

Et quo ad humilitatem, cum causa, & fundamentum hypocrysię, seu fictionis sit superbia, si virtute humilitatis illi contrarię tollatur, impossibile est, quod actus esse possint simulati, & ficti, cum sublata superbia, simulationem quoque euanescere sit necesse. Quapropter D. Cyprianus *serm. de nat. Chris.* dicit humilitatem esse fundamentum sanctitatis, sicut initium operis peccati est superbia. D. Bernardus *sermon. 1. de Natiuit.* esse fundamentum, & custodem virtutum. D. Gregorius *moral. lib. cap. 13.* esse matrem, & magistram virtutum D. Hieronymus *in epist. ad. Eustachium* esse primam virtutum Christianarum, & D. Thomas

mas 22. *qu.* 161. *art.* 5. *ad secundum* inquit, quod sicut congregata vir-
„ tutum congregatio per quamdam
„ similitudinem ædificio compara-
„ tur, ita etiam illud quod est primũ
„ in acquisitione virtutum funda-
„ mento comparatur, quod primo
„ in ædificio iacitur. Vnde primum
„ in acquisitione virtutum potest
„ accipi dupliciter. Vno modo per
„ modum remouentis prohibens, &
„ sic humilitas primum locum te-
„ net, in quantum scilicet expellit
„ superbiam, cui Deus resistit, &
„ prohibet hominem subditum, &
„ paruulum ad suscipiendum influ-
„ xum diuinæ gratiæ, in quantum
„ euacuat inflatiorem superbiæ: Vn-
de dicitur Iob. 4. Quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Et quo ad perseuerantiam, quia cum homo nequeat perseuerare in bono opere absque speciali gratia diuina, merito ex illa probatur, actus externos fuisse gestos vi donorum Spiritus sancti, vt ait D. Thomas 22. *quæst.* 137. *art.* 4. *in corpor.*
„ ibi, quod perseuerantia dupliciter
„ dicitur. Vno modo pro ipso ha-
bitu

,, bitu perseuerantiæ secundum quod
,, est virtus, sed hoc modo indiget
,, domo habitualis gratiæ, sicut &
,, cęteræ virtutes infusæ. Alio modo
,, potest accipi pro actu perseueran-
,, tiæ durante vsque ad mortem; Et
,, secundum hoc indiget non solum
,, gratia habituali, sed etiam gratuito
,, Dei auxilio conseruantis hominem
,, in bono vsque ad finem vitæ, quia
,, cum liberum arbitrium de se sit
,, vertibile, & hoc ei non tollatur per
,, habitualem gratiam præsentis vitæ
,, non subest potestati liberi arbitrij
,, etiam per gratiam reparatæ, vt se
,, immobiliter in bono statuat, licet
sit in potestate, quod hoc eligat. Hinc
B. Laurentius Iustinianus *in ligno vitæ tit. de perseuerantia cap. 2. in fin.*
,, Tolle, inquit, hanc scilicet perseue-
,, rantiam, nec obsequium merce-
,, dem habet, nec beneficium gra-
,, tiam, nec laudem fortitudo. Sola
,, est, cui æternitas redditur, vel po-
,, tius, quæ æternitati hominem red-
,, dit. Dicente Domino, qui autem
,, perseuerauerit vsque in finem, hic
,, saluus erit, ideoque si omnes vir-
,, tutes ad cęlum possessorem suum
,, trahunt, hæc tamen sola accipit
brauium. Et

Et demum quo ad miracula post
ortem, quia cum Deus illa non
peretur, nisi ad demostrationem
nctitatis illius, quem vult homi-
bus proponere in exemplum vir-
tis iuxta doctrinam D.Thomæ 22.
178. *art. 21. in corp.* inde sequitur
uod probatis miraculis post mor-
m ad intercessionem alicuius serui
ei, constet eumdem frui æterna
atitudine, operaque illius dum
iueret, non fuisse simulata, & ficta,
ed gesta vel speciali gratia diuina,
el vi donorum Spiritus sancti. Ideo-
que Theologi, & Canonistæ vno ore
atentur, quod in canonizationibus
præsertim confessorum requiritur
copulatiue probatio virtutum, &
miraculorum. Virtutum ad essen-
tiam ipsius canonizationis; Mira-
culorum ad euidentem probationẽ
seruum Dei obijsse in gratia diuina,
& post mortem in cælis cum Deo
regnare *c. 1. de rel. & vener. Sanct.
vbi Io.Andr.num.4. Host.num 5. Abb.
nu.5. Fagnan. num. 13, gl. in c. vnico
eo tit. verb. Sedis Apostolicæ, vbi Ar-
chid. num. 5. Hostien. in summa eo tit.
num.3.vers. item quærendum est. Felin.
in c. venerabili, de testibus n. 1. Bella-*

mer

mer n. 2. verſ. quarto notat. Butr. n. 2. Aretin. n. 1. Silueſter in ſumma verb. canonizatio. num. 1. par. 2. verſ. in quiritur. Tabien. eo. verb. num. 2. Angel. num. 1. Caſſane. in cathal. glor. mund. par. 3. conſid. 49. Azor. inſtit. mor. lib. 5. cap 6. §. ſeptimo quæritur. Caſtellin. de dilat. canoniz. par. 2. fol. mihi 92. Rocc. de canonizat. ſanct. cap. 8. in fin. Maluet. eo. tit. dub. 3. num. 37. Contilor. eo. tit. cap. 20. num. 2 Rota fere in omnibus relationibus, & præſertim Sancti Thomæ de Villanoua *poſt probem. ver. quod autem impreſſ. poſt Contilor. de Canonizat. Sanct. B. Aloyſij Gonzaghæ ad fin. probem. B. Paſqualis Banylon. tit. de mirac. in princ. S Hiacinti tit. de fid.* Summique Pontifices fere omnes in bullis canonizationum, & præſertim Innocentius III. in bulla canonizationis Sancti Homoboni. Panuinus in relatione Sancti Bonauenturæ *par. 1. art. 8. & 9. & alij relati à Caſtellin. de certitud. glor. ſanctorum cap. 8. punct. 21. per tot. & clarius cæteris Greg. 11. in Bulla Canonizationis Sancti Antonij de Padua. conſt. 4.*

F I N I S

